



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXXXII. ad annum CCCCLI.

Parisiis, 1644

Cap. VI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14584

se clamans dicere ad Augustum : intrent qui separauerunt filium a matre ecclesia, * vt corroborent vniuersa ^{al. &} velamina cordis mei. Augustus autem Valentinianus tacebat. Respondit Leo diaconus, & dixit: Iusta petitio non abscondatur. Erant enim ibi patricii exconfules isti, Paterius exconsul, Anatolius exconsul, ipse Bassus exconsul, & Marinianus patricius, Albinus patricius, Sigisbuldus patricius, Honoratus patricius, & praefectus vrbis Euthymius, expraefectus vrbis Valerius patricius, Claudius patricius, Fonteius expraefectus. Et aduocati isti, Quintus, Deuterius, Alexander, Heliocarus. Presbyteri autem vrbis Romae omnes 48. Diacones 5. Introiuit enim Epiphanius presbyter, & dixit cum lacrymis: Fiat probatio, vt ecclesia non maculetur. Respondit Maximus exconsul, & dixit: Non licet aduersus pontificem dare sententiam. Respondit Sixtus, & dixit: Quamquam in meo arbitrio sit, iudicet, an non iudicet, tamen meo iudicio non abscondatur veritas. Respondit Augustus Valentinianus, & dixit ad Bassum: confitere publice vniuersas intimationes tuas, quoniam si non probaueris, eris obnoxius ecclesiae & pontifici. Nam & damnatio tibi commanet. Et iterum Augustus dixit ad Maximum: Parens Maxime, iusta fuit postulatio tua. Leuauit se Augustus, & dedit in arbitrio Sixti episcopi, vt iudicaret iudicium suum. Et discesserunt cum Augusto omnes. Et erat sicut in pristinum munita ecclesia, ita vt cum gaudio & ioco discederet Valentinianus Augustus a Sixto episcopo, insultans Mariniano & Basso.

CAP. VI.

Alia autem die fecit colligi omnes presbyteros vrbis Romae, & sedit in eodem loco, vbi consistebat Augustus. Et fecit commune Concilium, & damnauit Bassum, & Marinianum, ita vt communionem ambos simul ^{*priuaret,} subleuaret. Et misit auctoritatis munimen per vniuersos episcopos. Audiendo hoc Bassus & Marinianus, coepit Bassus grauius ferre, Marinianus deridere, ita vt Bassus praedia sua, quae per omnes annos vitae suae, omnia ecclesiae derelinqueret, vt ad communionem reuerteretur, & non subleuaretur. Nam Marinianus ore proprio clamabat dicēs:

ANNO
CHRISTI
433.

Scriptum est in verbis euangelicis: *Dimittite, & dimittetur vobis. Date, & dabitur vobis.* Hoc cum audiret Sixtus episcopus, dixit: Scriptum est in euangelicæ doctrinæ verbis: *Qui peccauerit in hoc sæculo, remittetur ei. Qui autem peccauerit in Spiritum sanctum, non remittetur ei, nec hic, nec in futuro.* Et nec eos reuocauit ad communionem, ita vt de hoc sæculo ambo sic transfirent. Et damnauit eos * sexto Kalendas Septembris, ita tamen vt Sixtus episcopus sedens in fede sua sic iudicaret, dicens, & proferens euangelica verba per eandem doctrinam: *Non est seruus supra dominum, neque discipulus supra magistrum.* Et quia dixerunt Bassus & Marinianus de me peccatore, quod scorti assumerem negotium, relegi dicta euangelica in loco vbi scriptum est: *Sedente Iesu, & scribente digito in terra.* Et quia non inueniebant Iudæi quomodo eum damnarent, adulteram adduxerunt ei. Et tunc respondit Iesus: *Si quis ex vobis est sine peccato, mittat in istam lapidem.* Et per hæc verba euangelica iudicabat sedem suam. Actum in basilica Heliana.

NOTÆ.

* *Concilium.*] Hoc Concilium celebratum est Romæ mense Decembri anno Domini 433. qui est secundus a creatione Sixti pontificis. Nam in vita eius auctor libri pontificalis hæc ait: *Hic post annum vnum & menses octo criminatur a quodam Basso.* Vnde quod in actis Concilii Probus & Marinianus Valentiniano & Anatolio consulibus vi. Kalendas Septembris condemnati esse dicuntur, mendosum est. Nam prædictorum consulatus incidit cum anno Domini 440. cuius initio Sixtus pontifex diem vitæ extremum clausit. Causam habiti Concilii idem auctor pontificalis summatim recenset prædicto loco his verbis: *Hic post annum & menses octo criminatur a quodam Basso (de stupro virgini Deo consecratæ illato.) Facto Conuentu, cum magna examinatione, per iudicium synodicum purgatur a quinquaginta sex episcopis. Et condemnatur Bassus a Synodo, ita tamen vt ultimo die viaticum ei non negaretur propter humanitatem pietatis ecclesie. Hoc audiens Valentinianus Augustus, cum matre sua Placidia Augusta, furore sancto commoti, proscriptione Bassum condemnarunt, & omnia prædia facultatum eius ecclesie catholicæ sociarunt. Qui Bassus intra tres menses moritur: cuius corpus Sixtus episcopus cum linteaminibus & aromatibus, manibus suis tractans, recondidit & sepeliuit ad B. Petrum apostolum in cubiculo parentum eius. Eadem ipse Sixtus pontifex recenset epistola tertia his verbis: Scitote me criminari a quodam Basso & iniuste persequi. Quod audiens Valentinianus Augustus, nostra auctoritate Synodum congregari iussit. Et factò Concilio cum magna exa-*

Locus & tempus Concilii. Acta emendantur. Causa habiti Concilii.